

James of Benevento OP

De beata Helysabeth, sermo primus¹

Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei, (1) Reg. XXV. (41).

{273ra} Ex sensu huius ystorie [verborum] hec beata Helisabeth duplicitate commendatur:

<1> primo quantum ad statum,

<2> secundo quantum ad actum.

<1> Status condicionis eius exprimitur in proferente hec verba, scilicet Abigayl, que ipsam significat,

<1.1> primo in viduitate,

<1.2> secundo in sagacitate,

<1.3> tercio in honestate,

<1.4> quarto in liberalitate.

<1.1> Viduitas sanctimoniam innuit, Iudith XV. (11): *post virum tuum* alium non amaveris,² sicut utraque istarum; post virum suum, vero David, Christo scilicet, adesit.

<1.2> Sagacitas prudenciam attollit, quia sicut illa avertit David ab indignacione contra virum suum, sic huius exemplo vir eius Deo factus est gratus; (1.) Cor. VII. (13-14): *quid [fidelis] mulier et ita salvatur vir infidelis.*³

<1.3> Honestas pudiciciam designat, (Sap. 4, 1:) *o quam pulchra est casta generacio*, et ista duo significantur cum dicitur (1. Reg. 25, 5): *erat autem Abigail prudentissima et speciosa*, cui coniunctus erat pudor femineus, Ec. XXVI. (19): *mulier sancta et pudorata*.

<1.4> Liberalitas autem misericordiam eius significat, quia attulit David, Christo scilicet, et servis eius, id est pauperibus, panem, vinum, arietes, in quibus significatur liberalis educacio pauperum, Ps. (131, 15): *viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus*.

<2> Actus autem obsecundacionis eius similiter commendatur a quatuor:

¹ Base ms.: F = Firenze, BN, Conv. Soppr. A. 4. 857, ff. 272vb-273va. Collated ms.: Z = Zwettl, StB, 387, ff. 53va-54ra.

² Iudith 15, 11: “post virum tuum alterum non scieris”.

³ 1. Cor. 7, 13-14: “Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum; sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem”.

<2.1> Primo, quia promptus – *ecce*; (2.) Cor IX. (8, 12): *secundum id quod habet, prompta est.*⁴

<2.2> Secundo, quia devotus, unde *famula*; Lu. I. (38): *ecce ancilla.*

<2.3> Tercio, quia abiectus – *ut lavet*; (1) Tim V. (10): *si sanctorum pedes lavit.*

<2.1> Quarto, quia multus, quia *servorum*, non unius, sed omnium; Tob 4 (7): *ne avertas faciem.*⁵

⁴ Vulg.: “secundum id quod habet, *accepta est*”.

⁵ Tob. 4, 7: “noli avertere faciem”; Ps. 26, 9: “ne avertas faciem”.

De sancta Helysabeth, sermo secundus

In Iacob inhabita et in Israel, Ec. XXIIII. (13).⁶

Inter festa sanctorum istud festum est specialius predicatorum,

- propter specialem revelationem, quam de nobis habuit, quia vidit ordinem in gremio virginis;

- propter specialem devocationem, quam in nobis ex tunc habuit, unde in manibus fratrum mortua est;

- propter specialem hedificacionem, quam nobis reliquit in triplici statu suo, qui tangitur in verbis propositis secundum ordinem dignitatis statuum.

<1> Unde tamquam infimus positus, primo, status coniugalis, propter quem dicitur: *in Iacob [inhabita]*, in luctu carnis, scilicet, Eph VI. (12): *non est collectacio*. Et nota quod tria innuit:

<1.1> habitacionem,

<1.2> cohabitacionem,

<1.3> inhabitacionem.

<1.1> Habitacio necessitatis fuit, Ps. (119, 5): *habitavi cum habitantibus Cedar*, ideo dicit Hester (14, 16): *tu scis Domine necessitatem meam*.

<1.2> Cohabitacio unanimitatis fuit, Ps. (67, 7): *qui habitare facit unius moris in domo*.

<1.3> Inhabitacio honestatis fuit, unde Iudit 8 (5): *fecit sibi secretum cubiculum in quo cum puellis suis clausa morabatur*.

<2> Secundus est status vidualis, propter quem dicit *in Israel*, [id est] Dei visio – secundum illud (1) Thi. (5, 5): *instet vidua obsecrationibus nocte ac die – hereditare*,⁷ quia in hereditate Domini assumpta est, Ec. (24, 11): *in hereditate Domini morabor*. Item hereditatem partita est, Prov. (17, 2): *inter fratres hereditatem {273rb} dividet*. Item hereditatem consecuta est, Ps. (15, 5): *tu es, qui restitues hereditatem meam mihi*.

⁶ Later on James refers to other parts of the verse as well: “Et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices”.

⁷ The word *Israel* is usually interpreted as (*vir / mens*) *videns Deum*; see THIEL, *Grundlagen* cit., pp. 336-337. The reference to 1 Tim. 5, 5 embedded in the part of the *thema* under consideration (“in Israel haereditare”) seems to mean that it is (only) the righteous widow, characterised there by the apostle, who will deserve (“inherit”) the vision of God (i.e. “Israel”).

<3> Tercius status fuit virginalis potissimum, propter quem dicit: *in electis meis*, id est virginibus, *mitte radices*; quod virgines sunt electi, Ps. (131, 13): *elegit Dominus Syon*, id est speculum, quia virginitas est speculum sine macula. A radicibus autem accipitur firmamentum, fomentum et incrementum, fructificamentum; sic ita ibi firmamentum, Ec. (24, 15): *et sic in Sion firmata*; Eph. 3 (17): *in caritate radicati*; ibi fomentum, Iob (29, 19): *radix mea aperta est secus aquas*; ibi incrementum, Iob (14, 7): *lignum habet*; ibi fructificamentum, Ys. (37, 31): *mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum*.

In hoc autem tangitur secundum eundem modum status probacionis in noviciis: *in electis meis*, status actionis in ministris: *in Jacob inhabita*, et contemplacionis in aliis: *in Israel hereditare*.

De sancta Helysabeth, sermo tercius¹

Hec vidua pauperala plus omnibus misit; Lu. 21 (3).⁸

Homo, qui se ipsum commendat, ille probatus est, et ideo Christus hanc suam famulam commendat dupliciter

- <1> primo quantum ad condicionem, quia *vidua*;
- <2> secundo quantum ad accionem, quia *plus omnibus*

<1> Condicionem tangit in tribus

<1.1> quantum ad naturam, quia *hec*, scilicet femina

<1.2> quantum ad fortunam, quia *vidua*

<1.3> quantum ad vitam, quia *pauperala*

<1.1> In femina summe laudatur fortitudo, Prov. ult. (31, 10): *mulierem fortem*; fortem, inquam, in carne, quia *accinxit fortitudine lumbos* (31, 17); fortem in opere, quia *manum suam misit* (31, 19);⁹ fortem in mente, quia *fortitudo et decor indumentum eius* (31, 25).

<1.2> In vidua summe laudatur sanctitudo, que secundum doctrinam apostoli est triplex, (1) Thi. V: quoad proximum, *si sanctorum pedes lavit* (5, 10), quoad Deum, *instet in obsecracionibus* (5, 5), quoad se ipsum, *si domui sue preesse novit* (3, 5),¹⁰ id est conscientie.

<1.3> In pauperala summe laudatur altitudo, propter quod commendat apostolus illos, qui *altissima paupertate superhabundaverunt in elemosinas* (2 Cor. 8, 2);¹¹ est enim alta paupertas habentis divicias non utentis, (1) Cor. VII (31): *qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur*; altior habentis et contempnentis et deserentis, Mt. V (3): *beati pauperes*; altissima contempnentis et supererogantis divicias, sicut qui nichil habet, eciam quod necessarium est sibi pauperibus amministrat, Tob. 4 (9): *si modicum tibi fuerit, libenter impertire*;¹² talis fuit hec vidua in dupli statu suo, in coniugali tamquam non utens diviciis, in viduali contempnens et proficiens *de virtute in virtutem* (Ps. 83, 8); eciam victum suum, quem conquebatur manibus pauperibus tribuebat.

⁸ Lk. 21, 3: “vidua haec pauper, plus quam omnes misit”; Mt. 12, 43: “vidua haec pauper plus omnibus misit”.

⁹ Prov. 31, 19: “manum suam misit ad fortia”.

¹⁰ 1 Thi 3, 5: “Si quis autem domui sua praesesse nescit, quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit?”

¹¹ 2 Cor. 8, 2: “in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum, abundavit in diviciis simplicitas eorum”.

¹² Vulg. Clem.: “si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude”. Vulg. Stuttg.: “si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter in pertire stude”.

<2> Accionem eius tangit in tribus:

<2.1> in devocione,

<2.2> in obligacione,

<2.3> in supererogacione.

<2.1> Devocio in frequentacione templi, sicut dicitur de illa, Lu. 3 (2, 37): *non discedebat de templo*.

<2.2> Obligacio in presentacione munusculi, quia {373va} *duo era minuta* (Lu. 21, 2), in quibus significatur duplex obsequium cordis et corporis, (1) Reg. XXVIII (25, 41): *ecce famula tua sit in ancillam*.

<2.3> Supererogacio in subtraccione necessitati sibi, quia totum victimum suum misit, Prov. XII (9): *melior est pauper et sufficiens sibi*, ergo multo melior, qui de eo, quod non sufficit sibi dat aliis, Job XXXV (31, 17): *si comedи bucellam meam*, id est modicum quid, *solus*; Prov. ult. (31, 20) *manus suas extendit ad pauperem*.¹³

¹³ Prov. 31, 20: “manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem”.